

quantum corporeus ferre non possit aspectus, cum tamen illum tulerit qui in montis transformatione resplenduit;
75 unde ostenditur quia tantum revelatum sit quantum ferre oculi mortalium poterant, nec tamen tulerunt ex integro sed « ceciderunt, inquit, in faciem » super terram. Tum praeterea si quis te introduceret in conventum aliquem ubi omnes auratis amicti residerent stolis, quorum in
80 medio aliquis gemmis adornatus refulgeret et purpura, is qui polliceretur tibi quod possis in illo honoratorum numero adscribi, nonne cuncta ageres et omnia promoveres quatenus id assequi possis. Adaperi ergo nunc sensibus tuis caelos et intuere ibi conventum, non auri,
85 neque vestium, neque gemmarum sed iustitiae meritis congregatum, splendidius sideribus micantem, clarissimis sole fulgentem. Intuere ibi coetum non solum ex hominibus sed etiam ex angelis atque archangelis, thronis etiam dominationibusque et principatibus ac potestatibus con-
90 vocatum. De rege autem qui horum medius residet, dicere vox nulla sufficiet. Effugit enim omnem sermonem atque omnem sensum humanae mentis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa virtus, illa gloria, illa magnificientia, illa maiestas. Quid ergo, dic mihi, horum omnium
95 bonorum expertes nosmetipsos faciemus et alienos, uti ne parvum aliquem suscipiamus laborem et exiguo tempore libidinis illecebris resistemus. Si enim cotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam Gehennam parvo tempore tolerare pro eo ut Christum videre possimus in gloriam
100 venientem et Sanctorum eius numero sociari, nonne erat